

portas tuas laudatio. Et postea sequitur *populus tuus omnes justi in perpetuum haeredib[us] terram.* De ista terra, scilicet vita aeterna dicitur in psalm. 26. v. 13. *Credo videre bonas Domini in terra viventium.* De istis quatuor dicitur, Isai. 32. v. 18. *Sedebit populus meus,* scilicet semper vivens quod est contra mortem *in pulchritudine pacis contra clamorem,* Isai. 9. v. 7. *Et pacis non erit finis in tabernaculis fiduciae,* contra luctum *in requie opulenta,* contra dolorem; *quia prima* scilicet quatuor predicta abierunt recedentes ab aula regia, Isai. 32. v. 17. *et erit pax et cultus justitiae* (1), *et securitas usque in sempiternum.* Et hoc est argumentum quod non pervenitur ad gloriam nisi per ista, act. 14. v. 21. *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Et ideo pervenientibus ad gloriam illa sunt prima, Eccles. 3. v. 4. *tempus flendi prius in hac vita, et tempus rendendi post fletum,* scilicet in futura gloria. Vel exponendo secundum glossam *quia prima abierunt,* *quia causa horum scilicet peccatum non*

(1) *Vulg.* *Et erit opus justitiae pax, et cultus justitiae mentium.*

erit ibi unde nec ista erunt ibi. Et tunc sic construitur et exponitur ista littera; quia illa recesserunt, quia prima, idest illa, quae per haec sunt priora et antecedentia et causa, abierunt scilicet peccata. Ibi enim jam homines peccare non poterunt, et ita nec mori, nec clamare, nec lugere, nec dolere, quia tanta erit honorum affluencia, quod miseriae praesentis saeculi, et molestiae, quas sustinuerunt sancti oblivioni tradentur. Isai. 65. v. 17 *non erunt in memoria priora,* *et non ascendent super cor, sed gaudebitis et exultabitis in sempiternum.* Et ibidem traditae sunt oblivioni angustiae priores, et absconditae sunt ab oculis nostris. Et ideo dicitur psalm. 16. v. 45 *satiabor cum apparuerit gloria tua.* Dicit autem Augustinus 20. l. de Civit. Dei cap. 17. hoc scilicet absterget Deus etc. et post neque luctus etc. Nullo modo potest intelligi de ecclesia militanti, sic inquiens: Quis enim tam vesanus est, quod audeat affirmare in hujusmodi mortalitatis aerumni, non dico populum sanctum, sed unum aliquem sanctorum, quod hanc vel ducat, vel ducturus sit, vel duxerit vitam nullas habentem lacrymas, vel dolores? Cum potius quanto est quisque sanctior, et desiderii justi plenior, tanto sit ejus morando fletus uberior. Vel possunt distingui quatuor in

(150)

praedicta auctoritate. *Absterget Deus etc.* ut supponatur omnis laboris amotio. Apoc. 14. v. 13. *amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis: et mors ultra non erit, id est particularis vitae dissolutio, quae fit per quotidiam et continuam perditionem, et fluxum naturae.* Sed erit vita indeficiens, permanens, et aeterna. Sap. 5. v. 16. *justi in perpetuum vivent. Neque luctus pro conscientia peccati; neque dolor pro poena,* Isai. 14. v. 3. *In die illa cum requiem dederit tibi Dominus a labore tuo, et a concussione tua, et a servitute (dura) qua antea servisti: assumes parabolam istam, diricens; quomodo cessavit tributum, quievit exactor* (1). Sic ergo renovati omnes sancti et beatificati coronam regni coelestis accipient cum Christo Filio Dei in perpetuum regnaturi, secundum quod dicitur, Dan. 7. v. 18. *suscipient regnum sancti Dei altissimi, et obtinebunt regnum usque in saeculum, et in saecula saeculorum.* Ad quod regnum perducat nos ipse Filius Dei qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum Amen.

FINIS.

(1) *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum.*

(151)

Explicitur tres tractatus Sancti Thomas aq
Aquino super Credo, (1) de Antichristo, et de
judicio finali, et universali.

(1) *Tractatus super symbolo Apostolorum jam editus est: vi-*
de opusc. sextum pag. 64. tom. 17. edit. Rom.

NIHIL OBSTAT

Fra. Joannes Genis

Mag. Theol. Casanat. Censor Theol. Dep.

NIHIL OBSTAT

Emilianus Sarti Censor Philologus.

NIHIL OBSTAT

F. D. Battsoni O. P. S. P. A. M.

NIHIL OBSTAT

A. Piatti Patriarch. Antioch. Vicesgerens.

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la
última fecha abajo indicada.

IFCC 636

BT985

T6

41508

FEVT

AUTOR

TOMAS DE AQUINO, Santo

TITULO

Tractatus de adventu et statu et vita...

